

Nec minus errantes aliæ decerpere flavum  
Instabant inserta crocum. media ipsa legebat  
Puniceam regina rosam, formosior una  
Tanto aliis, quanto Charisin Venus aurea præstat.  
Sed neque erat florum studio, neque virginis illa  
Nomine læta diu mansura. ut vidit ab axe  
Namque deum genitor nympham, penetrabile telum  
Sensit Acidaliæ Veneris, quæ sola vel ipsum  
Vincere sueta Jovem, magno succendit amore.  
Ille quidem effugere & rabiem Junonis iniquæ,  
Fallere & incautæ cupiens cor molle puellæ,  
Occuluit numen, mutato & corpore sese  
Induit in taurum: non ad præsepia qualis  
Pascitur, aut curvo terram proscindit aratro;  
Non qualis ludit pecora inter agrestia campo  
Luxurians; nec qualis item, stridentia multo  
Edomita cervice trahit qui pondere plaustra.  
Numquam alius talis fuerat conspectus: ut auro,  
Corpore flavebat toto; sed candidus alte  
Fronte bovis media splendebat circulus. olli  
Glauci oculi, & blando fulgebant igne corusci;  
Tum paria hinc atque hinc surgebant cornua celso  
E capite: haud aliter, quam quum nova Cynthia cælo  
Invehitur, curvaque nitet nondum integra fronte.  
Jamque aderat: veniens pavidas non ille puellas  
Terruit aspectu; sed cunctæ accedere gaudent,  
Sed placidum manibus taurum contingere, cujus  
Dius odor prati vernum superabat odorem.  
Europæ stetit ante pedes, collumque superne  
Lambabat mulcens; pariter formosa puella  
Contingitque ipsum, niveasque abstergit ab ore  
Læta suis manibus spumas, atque oscula figit.